

TRIBUNAL DE LA ROTA DE LA NUNCIATURA

Coram Excmo. ac Revmo. D. Laurentio Miguélez

Nullitatis vnatrimonii

(Appellationis et restitutionis in integrum)

SPECIES FACTI: Uxore actrice apud Tribunal X., sententia prolata est pro nullitate matrimonii ex capite metus reverentialis die 31 octobris 1945.

Sententiam illam, appellante vinculi Defensore, Tribunal appellationis Z. infirmavit die 21 junii 1946, suamque sententiam firmam et executivam declaravit die 22 subsequentis mensis julii, quia appellatio intra terminos factales non fuerat interposita.

Dum tamen causa apud tribunal appellationis ageretur, vita functus est unus e iudicibus collegialibus, cui Officialis Z. alium iudicem prosynodalem subrogavit, dieque immediate subrogationem subsequenti, post iuramentum a substituto praestitum de munere fideliter exercendo, Tribunal sententiam protulit definitivam. Haec tamen subrogatio partibus notificata non fuit.

Recensita notificationis omissione innixi tam uxor quam vir, petierunt coniunctim die 22 octobris 1946 ut ipsis a Tribunali Z. concederetur beneficium restitutionis in integrum ex neglecto legis praescripto, causaque ad momentum processuale subrogationis peractae retrotraheretur. Petitionem reiecit Tribunal Z. die 15 julii subsequentis anni 1947, post auditum vinculi Defensorem.

Denique, die 25 februarii 1948, memorati coniuges scriptum Excmo. ac Revdmo. Nuncio Apostolico porrexerunt, exorantes ut res huic Tribunali Nostro committeretur. iisdemque concederetur vel beneficium restitutionis in integrum vel normalis appellationis admissio in tertia instantia.

Re quidem Nobis delata, respondere debemus hodie sequenti dubiorum formulae legitime concordatae:

I. An contra sententiam definitivam a Tribunali Z. prolatam recursus ordinarius appellationis sit admittendus; et, si negative:

II. An et quatenus locus sit beneficio extraordinario restitutionis in integrum.

* * *

QUOAD APPELLATIONEM:

I.º IN IURE: Exploratissimum est existere tempus fatale decem dierum a notitia publicationis sententiae ad appellationem interponendam (can. 1881). Ab hoc fatali legis exemptae non sunt sententiae in causis matrimonialis, si conjuges appellationem interponere velint, ita enim eruitur tum ex can. 1881, qui modo generalissimo loquitur, tum quia explicite pro his causis assignatur tempus decem dierum in art. 215 Instr. an. 1936, tum denique quia nullibi, nec in Codice nec in laudata Instructione, continetur favore conjugum exceptio.

Singulari tamen est hisce causis quod sententiae numquam transeant in rem iudicatam (can. 1903); unde retractari semper poterunt (can. 1989). Sed aliud est appellatio, aliud vero retractatio; aliud res iudicata, et aliud firmitas sententiae. Et re vera: una tantum sententia contra matrimonii vinculum in processu ordinario nec obtinet firmitatem nec habetur ex ea res iudicata; si vero sententia favore vinculi prolata fuerit, nec appellata intra decemdiem, firmitatem obtinet, etiamsi expedita possit patere via ad novam causae propositionem, quia in rem iudicatam non transit. Nec est mera subtilitas distinctionem stabilire inter firmitatem sententiae et rem iudicatam, appellationem inter et novam causae propositionem. Sententia intra tempus habile non appellata—si non sit contra matrimonii vinculum—fit sententia firma et executiva, quamvis in rem iudicatam non transeat; unde potest et debet executioni mandari. Hisce in adjunctis, cessat omnino litis pendentia, etiamsi causa noviter proponi queat, ac certus et determinatus status iudicialis inter conjuges consolidatur.

Praetereundum nobis non est citra effectus stricte canonicos e firmitate sententiae derivatos—quos potissimum in foro nostro considerare debemus—alios etiam effectus, et quidem magni momenti, ex litis pendentia vel ex firmitate sententiae profluere in foro civili hispanico, erga status iudicialis ex litibus et sententiis canonicis dimanantes obsequentissimo; hosque effectus iudici ecclesiastico, saltem ex aequitate naturali (*la sentencia rotal se dictó antes de la conclusión del Concordato entre la Santa Sede y España*), negligere non licet. Necesse igitur est ut modo speciali in hoc Tribunali Nostro accurata fiat distinctio inter appellationem et novam causae propositionem, eaeque tantum appellationes, ut verae appellationes.

in rigore juris, admittantur, quae a conjugibus ad normam canonum, id est, intra decendum interpositae fuerint, ne tergiversationi in foro civili pandatur via indeque discrepantia, noxia etiam pro foro nostro, resultet.

2.º IN FACTO: Appellatione interposita a Defensore vinculi contra sententiam Tribunalis X, Tribunal appellationis Z, dubiorum concordationem statuit, adstantibus quidem procuratore actricis et vinculi Defensore, non autem viro in prima instantia convento; imo ex actis non constat virum fuisse citatum. Haec citationis omissio, si revera citatio facta non fuit, nullitatem sententiae postea a Tribunali Z, prolatae secumtulisset, sanabilem tamen, ad normam can. 1.894, n. 1. Sed cum a sententia tribunalis hujusce nec appellatio intra decendum sit interposita, nec querela nullitatis intra tres menses (can. 1.895) nullitas illa sententiae, si forte extitit, sanata dicenda est, uti refert art. 211, 3, Ins. an. 1936.

Cum dubiorum formula statuta fuit apud Tribunal Z. apellationis, tum advocatus-procurator actricis tum Defensor vinculi cuilibet ulteriori probationi suppletoriae expresse renuntiarunt. "Ambos contestan que se dan por satisfechos con las pruebas que aparecen en los autos remitidos por el Tribunal de primera instancia y hacen manifestación expresa de renunciar a toda otra clase de pruebas... En vista de lo declarado por las partes, el Tribunal colegiado acuerda y decreta la conclusión in causa". Congruenter manifestationi tunc temporis factae, nulla probatio fuit proposita, nec insinuata, usque ad sententiae definitivae prolationem. Frustra igitur et inopportune conqueruntur nunc conjuges M-N—post sententiam adversam a Tribunali Z. edictam—nullam ab eodem Tribunali instructionem suppletoriam peractam fuisse: "tramitó—ajunt ipsi—la apelación, y sin recurrir a ninguna ampliación de prueba ni a facultad alguna de las que le concede el artículo 136 de la Instrucción..."

Sententiam definitivam tulit et sollemniter publicavit Tribunal Z. die 21 junii 1946. Praeterire quidem non possumus pluribus defectibus non parvi momenti laborare acta ab actuario memorati Tribunalis confecta, potissimum quod ad conscriptionem in iisdem atinet citationum, intimationum et notificationum judicialium. Hisce tamen defectibus non obstantibus, certo certius constat in casu sententiam partibus fuisse notificatam ac die 22 julii post decem saltem dies a notificatione, firmam et executivam declaratam.

A die 22 julii nihil actum fuit in causa usque ad diem 22 octobris ejusdem anni 1946, qua conjuges M-N petierunt a Tribunali Z. beneficium restitutionis in integrum de quo infra; qua petitione rejecta die 15,

julii 1947, conjuges non statim, sed die 25 februarii subsequentis anni 1948—id est undevigintii mensibus jam elapsis a notificatione sententiae definitivae an. 1946, et septem a rejectione beneficii restitutionis in integrum—scriptum ad Excmum. Nuntium porrexerunt, implorantes aut restitutionem in integrum aut admissionem appellationis ordinariae contra sententiam illam definitivam Z. prolatam: “se digne disponer—ajunt illi—lo pertinente a fin de darnos lugar... a la normal apelación en tercera instancia ante el correspondiente turno de la Sagrada Rota de esa Nunciatura”. Nemo non videt, quocumque sub aspectu haec appellationis interpositio consideretur, tempus fatale decem dierum ad eam interponendam esse transactum. Necessè non est ut de hoc plura dicaus.

* * *

QUOAD RESTITUTIONEM IN INTEGRUM:

1.° IN JURE: Ad rem de qua agimus attinet “can. 1.905, § 1. Adversus sententiam contra quam non suppetat ordinarium remedium appellationis aut querelae nullitatis, datur extraordinarium remedium restitutionis in integrum intra fines cann. 1.687, 1.688, dummodo de evidenti injustitia rei judicatae manifesto constet. § 2. De injustitia autem manifesto constare non consetur, nisi: 1.° Sententia documentis innitatur, quae postea fuerint falsa deprehensa; 2.° Postea detecta fuerint documenta, quae facta nova et contrariam decisionem exigentia peremptorie probent; 3.° Sententia ex dolo partis prolata fuerint in damnum alterius; 4.° Legis praescriptum evidenter neglectum fuerit”. Canon vero 1.687 statuit hoc remedium extraordinarium concedi *graviter laesis* ad laesionem reparandam, tum minoribus (§ 1), tum majoribus quos deficit rescissoria actio aut aliud ordinarium remedium (§ 2). Præmittere debemus cum LEGA-BARTOCETTI (*Comm. in judicia eccæ.*, vol. III [1941], tit. XV, art. 5, n. 7), restitutionem in integrum esse “remedium extraordinarium et hinc exorbitans a communi lege, quae vult firmam et ratam manere rem judicatam..., juridice odiosum et stricte interpretandum”.

Ut beneficium restitutionis in integrum possit concedi contra sententiam ob neglectum juris praescriptum, has necesse est verificari condiciones: 1) ut adsit evidenti de neglecto juris praescripto; 2) ut constet *manifesto de evidenti* injustitia sententiae; 3) ut haec injustitia ex neglecto legis praescripto procedat; 4) ut injustitia gravem laesionem implicet; 5) ut contra sententiam non detur aliquod remedium ordinarium. Una quaelibet ex iis conditionibus si non verificatur, restitutio in integrum concedi non potest.

1) Quod ad legis praescriptum attinet, de quo in can. 1.905, § 2, n. 2, non conveniunt canonistae an sub hujus nomine veniat tantum legis praescriptum constitutionale seu substantivum, an vero praescriptum etiam mere processuale comprehendatur. Indubium tamen est non quamlibet legis processualis violationem sufficere ad restitutionem in integrum concedendam, sed talem requiri eamque evidentem, ut ex ea magna laesio derivari queat ad normam can. 1.687. Jam vero, inter praescripta legis processualis illud hic recensere praestat quod statuit nomina iudicium substitutorum statim partibus notificari debere (art. 26, Instr. 1936).

2) Res iudicata—quae inducitur per sententiam—debet esse *evidenter* injusta; haecque injustitia *manifesto* constare debet. Unde, si opus est novis probationibus—praeter casus de quibus in nn. 1.º, 3.º, § 2, can. 1.905—ad injustitiam rei iudicatae ostendendam, haec injustitia nec evidens dici potest, nec manifesto constabit.

3) Inter neglectum legis et injustitiam sententiae debet existere conexio causalis, ita ut injustitia sententiae procedat ex ipso neglectu legis et non aliunde. “Necessario requiritur ut manifesto constet de injustitia rei iudicatae vel judicialis decreti, et non de qualibet injustitia, sed tantum de illa quae *proveniat ex legis praescripto evidenter neglecto*” (SRRD, Dec. XLIV coram GUGLIELMI, 30 iulii 1930, vol. XXII, n. 11, p. 501). “Non omnis violatio legis processualis dat laeso jus ad petendam et obtinendam restitutionem in integrum, sed ea tantum quae manifesto *causavit gravem laesionem et iniustitiam rei iudicatae*, aliis verbis: quae lex, si observata fuisset, *manifesto* aliam eamque contrariam sententiam provocavisset” (ibid., Dec. XXV, coram WYNEN, 11 aprilis 1935, vol. XXVI, n. 8, p. 221). “Neglectus legis debet esse *causa laesionis injustae a sententia causatae*” (CORONATA: *Instit. juris can.*, vol. III [1941], n. 1.427, p. 347).

4) Nec quaelibet injustitia sententiae sufficit ad restitutionem, sed talis requiritur quae gravem laesionem implicet, aliis verbis: “evidens neglectus legis praescripti, modo *gravis* sit et *vere damnosus*” (VERMEERSCH-CREUSEN: *Epitome juris canonici*, vol. III [1946], n. 246, 2, 4.º). Constat expresse ex recensito can. 1.687.

5) Non omnis sententia, etsi injusta, beneficio restitutionis in integrum impeti valet, sed tantum illa quae *in rem iudicatam* transierit; debet enim, ex can. 1.905, § 1, constare “de evidente injustitia *rei iudicatae*”. Beneficium hoc “suam speciem desumit ex uno objecto quod est res iudicata. Exinde in causis in rem iudicatam non transeuntibus proprie non

competit hoc remedium” (LEGA-BARTOCETTI, *l. c.*, n. 2). Inter has causas recensentur causae matrimoniales (cans. 1.903 et 1.989), tum vinculum, tum meram separationem respicientes. Ideo in laudata Instructione can. 1.936 circa tractationem causarum matrimonialium, nimia et accuratissima in omnibus, restitutionis in integrum nec fit mentio.

6) Requiritur demum ut contra sententiam non suppetat remedium aliquod ordinarium; restitutio enim, est remedium extraordinarium et “cui competit ordinarium non datur extraordinarium”. In can. 1.905, inter remedia ordinaria contra sententiam enumerantur tantum appellatio et quaelibet nullitatis, quae sunt usitatiora et communia remedia ordinaria quibuslibet in causis; sed in can. 1.687, ad quem provocat ipse can. 1.905, § 2, modo generico statuitur, ad hoc ut restitutio majoribus concedit possit, ut deficiat necesse rescissoria actio aut “aliud ordinarium remedium”. Jam vero, neminem latet ulteriorem causae propositionem—ultra terminos appellationis, imo etiam post duplicem sententiam conformem, causis matrimonialibus concessam ex cans. 1.903 et 1.989—esse remedium ordinarium, quod appellationi valde assimilatur. Unde deveniendum est nobis ad eandem conclusionem iam supra deductam: in causis matrimonialibus, ex eo quod semper competit remedium ordinarium, non datur remedium restitutionis in integrum contra sententiam.

2° IN FACTO: 1) Dubitare non licet de facto transgressionis legis processualis, de qua supra, dum Tribunal Z. partes cmissit certiores facere de substitutione iudicis; quod quidem ab ipso Tribunali incunctanter admittit. Hoc pro Nobis sufficit, quin necesse sit aliunde argumentattit—forsan non valida—perpendere, quibus proceduram ab eo instauratam cohonestare satagit. Simplex inspectio inscriptionis dierum in actis luculenter, demonstrat notificationem nec fuisse intentatam. De hoc non est ergo ambigendum. Recte tamen Tribunal Z. rejecit petitionem a conjugibus ipsi exhibitam restitutionis in integrum; sed in ipso limine et statim ipsam rejicere debuit, utpote incompetens ad illam concedendam ex neglecto legis praescripto a conjugibus allegato.

2) *Evidens* injustitia sententiae seu rei iudicatae nullibi *manifesto* constat, nec ex actis nec aliunde. Conjuges ad ostendendam injustitiam, novas nunc proponunt probationes non obstante renuntiatione explicita iisdem, cum causa cepit agi in secunda instantia; petunt enim nunc ut iterum audiantur parochi qui de credibilitate testium, in prima instantia inductorum, testimonium dederunt: Jam vero, neminem latet hac sola probatione, etiamsi felicissimo exitu perficeretur, non manifesto constitum ire de evi-

denti injustitia sententiae. Adde quod, ut locus esse queat restitutioni in integrum ex capite neglecti juris praescripti, injustitia sententiae debet constare jam nunc, ante restitutionem concessam. Quod si ostensio injustitiae fulcienda sit probationibus futuris ancipitibus—ut sunt probationes a conjugibus propositae—illa sententiae injustitia nec evidens dici nec manifesto de ea nunc constare valet. Conjuges autem M-N exoptant nunc restitutionem in integrum, ut, post restitutionem ipsis concessam, probationes illae perfici queant; aliis verbis, restitutionem exquirunt ad injustitiam sententiae postea ex novis probationibus ostendendam. Ad hoc non est deveniendum via restitutionis in integrum, quod secum ferret **causae** devolutionem ad Tribunal a quo; sed via, quae ipsis patet, ulterioris **causae** propositionis, seu retractionis, coram Tribunali competente.

3) Esto quod sententia Tribunalis Z. esset injusta—quod usque modo non constat—Nos latet omnino memoratam legis violationem in **praesuppositam** sententiae injustitiam revera influxum aliquem exercuisse. De hoc conjuges omnino silent.

4) Cum non constet sententiam Tribunalis Z. esse injustam, seu laesivam, manifesto patet supervacaneum esse agere de gravitate, vel secus, laesionis per sententiam inductae.

5) Causa de qua agimus est causa matrimonialis, quae proinde in rem judicatam non transit. Deficit ergo in casu conditio praecipua ex omnibus quae ad restitutionem in integrum concedendam requiruntur.

6) Denique, contra sententiam Tribunalis Z., qua matrimonialem, datur remedium ordinarium retractionis seu ulterioris causae propositionis. Unde etiam ex hoc capite restitutio in integrum interdicitur.

Quibus omnibus tam in jure quam in facto perpensis, Nos infrascripti Auditores de turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, sententiamus ad proposita dubia respondentes: Negative ad utrumque, seu non esse admittendum recursum ordinarium appellationis nec concedendum esse beneficium extraordinarium restitutionis in integrum.